Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Dicere dei est ad electorum spiritus humanis ipsos inspirare corporibus. nam dicere dei ipsi est facere. Ite inquit .i. uos spiritus electorum. qui mira dispositione mea ad laudem diuini nominis mei predestinati estis. ite de hoc angusto habitationis loco. ite in qua et induite corpora edificantes in terrenis habitaculis. mansionem eternam. quam quandoque possideatis in tabernaculis meis. SEQUITUR.

Erat unus ex illis. Item quoque et tu cum seruis tuis.

Unus iste unitatem designat electorum dei. qui unius fidei firmitate. unius deuotionis desiderio redemptionem humani generis quasi de longe spectantes. ualido ut ita dicam ardentis desiderii clamore. ipsum filium excelsi patris. in excelso solio residentem altissime diuinitatis. pro redemptione eorum ad terras descenderet his compellebant uerbis. Item quoque inquiunt et tu cum seruis tuis. Quasi dicerent. O domine qui es deus inuisibilis. conditor mirabilis et ineffabilis. qui per diuine maiestatis tue potentiam ad imaginem tuam nos transformasti et similitudinem. opus manuum tuarum conditor benignissime ne despicias. sed clementi bonitatis tue oculo calamitates nostras intuere et miserias. Item cum seruis tuis .i. dignare rex altissime. de sublimi habitationis tue loco descendere. et qui es dominus omnium pro seruis tuis seruilem dignare formam suscipere. His lacrimosis ut ita dicam electorum precibus. his inenarrabilibus dolorum suspiriis et singultibus. ipse dominus plenus pietate et misericordia. condescendens affectu miserationis paterne. quemadmodum mox sequitur. clementi obuiat responsione. Qui respondit. Ego ueniam. Respondit dominus electis suis. quando respexit de celis. et respexit in terram. ut audiret gemitus compeditorum. et solueret filios interemptorum. Ego inquit ueniam .i. ego misericors et miserator dominus. ego diues in misericordia et miserationibus. audiens uestros electi mei dolores et gemitus. uictus sum nimia caritatis uestre deuotione. mira pietatis compassione. Et quia ferre ultra non possum perditionem humani generis. pro redemptione eius pretium dabo corporis mei. nullumque aliud pignus saluationis uobis fidelibus meis largiri disposui. sed ego ego ipse ueniam. et secundum promissiones meas. mortem mea morte uestram mortificando destruam. Post hanc desiderantissime responsionis gratiam. post hanc salutifere promissionis clementiam. audiamus quomodo fidelis dominus in omnibus operibus suis. iusiurandum persoluerit. quod imposuit suis fidelibus. quomodo in quantum sponsor ille fidelis promissionis gratiam ad perfectum perduxerit. quia non ex debito sed gratuita pietate transfugis seruis suis promittendo demandauit. SEQUITUR.

Et abiit cum eis. Ecce tempus illud acceptabile. ecce dies salutis et gratie. in quibus eternus eterni patris filius. qui longe ante incarnationem suam desiderium cordis eius insinuando dixerat. delicie mee esse cum filiis hominum. humani corporis suscipiens indumenta. qui erat inuisibilis. uisibilis apparuit. qui erat deus. homo inter homines conuersari uoluit. Abiit inquit cum illis .i. de regalibus descendens sedibus. qui erat splendor et imago paterne maiestatis. exinaniuit seipsum formam serui suscipiens. et sic abiens cum eis in uia seculi. seruili ut ita dicam subiectione pro ipsis laborando seruiuit deo patri. Cumque uenisset ad iordanem. cedebant ligna.

Sicut supra diximus. electi domini tunc quasi ad iordanem. qui descensus dicitur. uenerunt. cum in presenti uita conuersari ceperunt. Et notandum quod postquam ad iordanem uenisse describuntur. cedere ligna memorantur. Lignum enim quanto cedendo a se dissecatur. tanto in manibus cedentis deficiendo minoratur. Sic et uita labentis seculi semper ad defectum tendit. nam quanto diutius homo uixerit. tanto de die in diem morti uicinius appropinquabit. SEQUITUR.

Accidit autem ut cum unus materiem succidisset. caderet ferrum securis in aqua. Per unum istum hic. sicut et in precedentibus. unitatem electorum multitudinem notare possumus. que tunc reuera materiem succidit. cum in huius mortalitatis